



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio I. De spiritualitate animæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

(33)

DISPUTATIO II.

De Anima rationali secundum se.

Communia prædicata animæ, vel sumi possunt pro communibus genericè, & in istis convenit cum aliis animabus, petiq; possunt ex dictis supra de Anima, ut quod sit actus corporis, quod sit vita &c. Sumi etiam possunt prædicata communia animæ, pro communibus specificè, vel si mavis dicere, pro prædicatis animæ rationalis, in se spectatæ, ut quod sit spiritualis, quod indivisibilis, perfecta &c. similia. *Sit*

QVÆSTIO I.

De spiritualitate Animæ.

Pono hunc titulum, ad servandam potius methodum, quam ad discurrendum de eodem. Quia in materia de Angelis, discurrendo de incorporeitate Angelorum, manet explicata ratio Entis spiritualis ut sic. Quamquam ut verum fatear, colligiq; potest ex inibi dictis, non potest formari conceptus aliquis Entis spiritualis, per exigentiam radicalem maximæ subtilitatis, ipsam subtilitatem, pro aliquo substantiali accipiendo. Hac ergo quæstione in illum locum rejecta. *Sit*

QUÆSTIO II.

De Indivisibilitate Animæ rationalis.

Itahic tractabitur de prædicato indivisibilitatis, ut simul etiam attingatur prædicatum divisibilitatis animarum, alicubi reperibilis.

DIFFICULTAS I.

Quid tenendum de Anima rationali?

Dicendum est I. *Animam rationalem esse indivisibilem in partes essentielles*; hoc est, non compositam ex materia & forma.

PROBATUR I. communiter. Si constaret anima materia & forma, esset ens completum, si esset ens completum, non posset facere cum corpore ens per se, adveniret enim tanquam quid completum parti incompletæ, h. e. corpori.

RESPONDEBIS ex Ariaga. Si anima componeretur ex materia spirituali, & sua Entitate, posset adhuc dicere ordinem ad materiam, ut ita dicam, materialem. Et sicut anima, in omni sententia, in quantum informat, dicitur actus; in quantum recipit accidentia, dicitur subiectum; sic materia illa spiritualis, respectu materiæ materialis haberet se per modum actus, respectu verò ipsius animæ, tanquam materia & subiectum.

CONTRA. Tum quia, ut urget Oyiedo, si ideo illa forma est incompleta, quia ordinatur cum sua materia, ad aliam materiam, dici etiam poterit, quod compositum illud, adhuc posset

ordinari ad aliam materiam: & hoc compositum constans jam tribus materiis, ad aliud compositum, constans quatuor materiis. Tum quia. Si forma componitur ex materia & sua Entitate, quæro, illa ratio alijs partis, quam tu appellas actum, an sit composita, vel non? Si non est composita: Ergo neq; prior est composita, cur enim hæc potius exigeret componi, quam alia? Si autem etiam illa altera pars, adhuc est composita, quæram de illa ipsa adhuc, & sic aut dabis processum in infinitum in istis compositionibus, aut devenietur ad aliquam formam, non compositam, & hæc sola, potius erit verè forma. Tum quia, non esset ratio, cur potius non fieret tunc aggregatum tantum ex tribus: illa scil. forma ita composita, & ex materia; non autem fieret unum per se; cum tamen forma, ordinetur per se, non ad aliquod constituendum aggregatum, sed ad constituendum unum per se.

PROBATUR 2. Subiectum primum, non est compositum: Ergo nec actus primus, est compositus; sed forma est actus primus, est enim quid correlativè respondens subiecto primo: Ergo forma, non est quid compositum. Antecedens primum probatur, simulq; consequentia. Quia si subiectum primum, & actus primus, supponeret aliud subiectum, & alium actum, utrumq; illud primum, non esset primum.

PROBATUR 3. Forma, vel dicit essentialem ordinem ad subiectum primum, vel non dicit: si non dicit, forma non est; dicere enim talem ordinem, de ratione formæ est, utpote informative. Si autem dicit essentialem ordinem ad subiectum primum, supponere priorem materiam non potest, hoc ipso enim non diceretur ordo essentialis ad subiectum primum.

RESPONDEBIS. Respici subiectum primum à forma, sed non sub formalitate primi, cum possit forma per prius respicere materiam, ex qua componitur.

CONTRA. Tum quia, non implicat contradictionem forma, respiciens subiectum primum, sub ratione primi: nec apparet, cur non omnis forma, debeat esse talis. Tum quia immerito jam appellaretur subiectum primum, materia, cum ante illam detur prius, h. e. materia ipsam formam componens. Tum quia, sicut creatura refertur ad Deum, non tantum ut causa est, sed ut causa prima est, ita & forma, refertur ad subiectum primum, etiam quia primum est.

DICENDUM 2. *Animam rationalem carere partibus integranibus.* Plures pro hac conclusione adferibiles rationes examinat Ariaga hîc disp. I. sect. 4. subsec. 8.

PROBATUR I. ratione, quæ communiter censetur esse efficacior. Quia si anima rationalis est